

## **Te Deum Laudamus, geschrieben von Anonymus zwischen dem 4. und 6 Jahrhundert**

**“Te Deum laudamus:  
te Dominum confitemur.  
Te aeternum patrem,  
omnis terra veneratur.**

**Tibi omnes angeli,  
tibi caeli et universae potestates:  
tibi cherubim et seraphim,  
incessabili voce proclamant:**

**"Sanctus, Sanctus, Sanctus  
Dominus Deus Sabaoth.  
Pleni sunt caeli et terra  
majestatis gloriae tuae."**

**Te gloriosus Apostolorum chorus,  
te prophetarum laudabilis numerus,  
te martyrum candidatus laudat exercitus.**

**Te per orbem terrarum  
sancta confitetur Ecclesia,  
Patrem immensae maiestatis;  
venerandum tuum verum et unicum Filium;  
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.**

**Tu rex gloriae, Christe.  
Tu Patris sempiternus es Filius.  
Tu, ad liberandum suscepturus hominem,  
non horruisti Virginis uterum.**

**Tu, devicto mortis aculeo,  
aperuisti credentibus regna caelorum.  
Tu ad dexteram Dei sedes,  
in gloria Patris.  
Iudex crederis esse venturus.**

**Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni,  
quos pretioso sanguine redemisti.  
Aeterna fac  
cum sanctis tuis in gloria numerari.**

**Salvum fac populum tuum, Domine,  
et benedic hereditati tuae.  
Et rege eos,  
et extolle illos usque in aeternum.**

**Per singulos dies benedicimus te;  
et laudamus nomen tuum in saeculum,  
et in saeculum saeculi.**

**Dignare, Domine, die isto  
sine peccato nos custodire.  
Miserere nostri, Domine,  
miserere nostri.**

**Fiat misericordia tua, Domine, super nos,  
quem ad modum speravimus in te.  
In te, Domine, speravi:  
non confundar in aeternum.”**

**Die Dreifaltigkeit**  
Gottvater, Gottessohn, Heiliger Geist

